

# REVERENDIS=

SIMO IO. MATTHAEO GIBER=

TO VERONAE EPISCOPO PONTI=

ficioq; Legato,

PETRVSPITATVS .S. PERPETVAM.



Vm te quamplurimis rerum curis, potioribusq; disci-  
plinarum studijs detentū uideam, utpote qui Iuri Pon-  
tificio, atq; ecclesiasticis institutis, ac diuinæ legi assidu-  
us incumbas: Quibus ecclesiæ tuæ cœtum, ac Veronen-  
sem gregem tibi cœlitus commissum sancte regas, foue-  
as, atq; gubernes. Haud quicquam profecto fari tecum  
auderem, ni te quarumcunq; uel minimarū etiam bonarum artium cu-  
pidum, & amatorem perpenderem. Propterea haudquaquam præter-  
mittendum mecum duxi, quin ex studiorum nostrorum uigilijs quid  
tibi licet paruulum, apud me tamen non minimum impertirem, cum  
nihil mihi amplius reliquum sit, quàm meas multorum annorum ui-  
gilijs, & animum pro te in omnibus, quæ ad dignitatis tuæ commo-  
dum, uel utile cedant (cum uires non suppetant) paratum penitus im-  
pendere. Quòd si quid in his animaduertirem, aut existimarem pe-  
nes catholicorum decreta, aut diuinæ legis instituta suspicioni obno-  
xium contineri, non auderem profecto id tuæ offerre sanctitati: ut ea  
sunt, quæ sub falso Astronomiæ nomine ueræ huic, ac naturali Theo-  
logiæ immiscentur, quæ ue contra humanæ uoluntatis arbitrium, at-  
que ex fatali etiam necessitate, insolentissime tamen, euenire dicuntur.  
Ex quo Mathematicos illo Gregorius redarguit, qui asserunt, quòd si  
quis sub signo Aquarij natus fuerit, piscatorum ministerium sorties-  
tur, cum tamen alicubi aliquem hoc sub signo nasci contingat, ubi pis-  
catoris officium minime exerceri possit. Et sic de similibus. Quorum  
dicta, dum necessitatem absolutā intendunt, nobis cum ipsomet Gre-  
gorio Pon. Maximo consentientibus, merito quidem abigenda, atque  
explodenda sunt, secus dum inclinationem, ac dispositionem contin-  
gentem præsupponunt. Quibus reiectis, per ea quæ hic inferius addu-  
centur, in notiores altissimarum rerum cognitionem perueniemus,  
atque ex splendidißima, ornatissimacq; cœlestium orbium, luminosio-  
rumq; corporum dispositione, ipsorumq; motuum, & radiationum  
qualitate, futuris huius sæculi contingentibus perspectis, mutationi-  
bus itidem, atq; alterationibus, quas ab eisdem, primo tamen operans  
temotore, recipiunt, de his, inquā, quæ ab ipso cœli influxu generantur